MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS III)
Heiligenkreuz, 1183/1200 Seite 152r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



ella manca ad eius tactum sanata est. & ut
nobis testati sunt qui nouerunt & uide-
runt. etiam hec in colomis usque hodie perse-
uerat.

Barrum super alba
quod dicitur oppidum tribus ut aiunt leu-
gis distans a monasterio clareuallis. Ibi
quoque sepius per hunc hominem dei diuine
uirtutis opera claruerunt. Siquidem preter ea
que minus diligenter curauimus inuestigare.
quod omnis nostra curiositas signorum multitu-
dine uinceretur. quatuor illic claudos ad ipsius
orationem & manus impositionem diuersis tem-
poribus xpc erexit. cecos duos illuminauit.
duobus eque surdis & mutis auditum prestitit.
& loquelam. Sed iuxta altum barrum super se-
quanam. ad eius tactum illuminatus est cecus. con-
ualuit etiam paraliticus. gressum recepit pu-
er claudus ex utero matris sue.

Cum reuerentissimus papa noster tercius eu-
genius ex monacho clareuallensi & ab-
bate sancti anastasij in urbe roma. ad apostolicam
assumptus kathedram gallias introisset. ibat
cum eo uir sanctus. nec minus apostolica uirtus in
illo. quam in illo dignitas preminebat. Tantus
enim ad beatum uirum erat concursus. incommo-
dis uariis laborantium. ut cum aliquando
summus pontifex basilicam ubi ille missarum
sollempnia celebrabat deuotus intrasset.
expleto sacrificio. & ex more accedentibus.
eis qui curam desiderabant. paulominus
idem papa comprimeretur a turbis. & uix potu-
erit per ministrorum manus educi. Et plurimis
sane que in eiusdem apostolici uiri facta sunt
comitatu duo scribimus. que nos obliuisci
ipsa quam uidimus magnitudo leticie non per-
mittit.

Chaleta dicitur
uicus inter priuignum castrum & sequa-
nam fluuium constitutus. Ubi puer fer-
me decennis ab anno priore paralitycus
sic iacebat. ut ne ipsum caput flecteret. nisi
ab altero moueretur. Quem afferentes inculcitur
mater eius. ceteriqui propinqui. offerebant uiro
sancto prope eundem locum per stratam publicam
transeunti. At ille signatum erigens statuit
supra pedes suos. & ire precepit. Hec mora
exiliit puer & ambulabat. magnificans
dominum. Qui tamdiu sanctum prosecutus est ab eun-
tem. donec uie inuitum licet & renitentem re-
dire precepit. Ubi non immerito quidem mag-
na admodum facta est admiratio. magna
exultacio. omnium qui uidebant. sed preceteris
fratrum iunior in ipsius tanquam redituum oscula
ruens. multorum eorum ad lacrimas usque pro-
mouit. Hunc quidem puerum & post annos
quatuor in eodem uico uidimus quem beato
uiro matre offerens. sacros monebat oscula-
ri pedes. hic est inquiens pater tuus. qui ti-
bi uitam reddidit. et te michi.

Eodem anno apud cystercium iuxta morem
abbatibus congregatis. predictus papa ue-
nerabilis affuit. non tam apostolica auctoritate
presidens. quam fraterna caritate residens inter
eos. quasi unus ex eis. Ubi cum ad cellam
in qua iacebat facto uespere & conuentu so-
luto famulus dei diuertisset. surdum ei pu-
erum obtulerunt. Erat autem puer ille de
uicinia eadem. & sicut postea didicimus. ex lon-
go ante tempore uigilans in custodia gre-
gis sui. subito terrore percussus. amiserat pror-
sus auditum. Orans itaque pater sanctus & puero
manus inponens. utrum audiat sciscita-
tur. At ille mira deuocione proclamans. au-
dio domine audio. tam firmiter amplexatus est eum.
ut uix ab eo posset auelli. Auditum est uer-
bum. oblatus est puer summo pontifici.
aliisque personis. celeberrimumque hoc miraculum
fuit.

Uenerat pater sanctus
ad monasterium in diocesi bisuntia cui
nomen est carus locus. & erant cum eo ex
abbatibus sui ordinis multi. Ubi matrona
quedam de finibus illis ex multo iam tempore
clauda in carro allata. & oblata est ei. Orans
ergo breuiter & signans eam in nomine domini ere-
xit & sanauit. ut eadem hora in colomis re-
mearet ad propria.

Eodem tempore in monasterio morimundo
que est cystercensis ordinis abbacia
una de primis. monachus quidam iacebat
usque adeo paralysi dissolutus. ut reliquis
omnibus membris officio proprio destitutus.
in solo uigere uideretur capite sensus. in
solo deinceps pectore uitalis spiritus palpitare.
Non manum mouere non pedem tantum loqui
poterat & uidere. Interea superueniens uir
beatus paralyticum uisitat. manus postula-
tus inponit. & continuo opem sentit egro-
tus. Ut tamen gracie esset miraculum. uelut gra-
datim per aliquot dies ad singulas eius uisita-
ciones magis ac magis conualescens. iam
mouebat manus. iam pedibus consiste-
bat. iam paululum gradiebatur. donec fratrum
collegio redderetur in colomis.

In monasterio albe ripe monachus quidam
adolescens usum uocis amiserat. ut nec
psallere inter fratres. nec aquoquam nisi multum
proximo sibi intelligi posset. quid loqueretur.
Cui uir sanctus cum idem monasterium uisitaret.
aquam frigidam benedicens potum dedit.